



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

§. 1. De metu, & concupiscentia in ordine ad voluntarium & involuntarium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

## CAPUT III.

§. I. De metu, & concupiscentia in ordine  
ad voluntarium, & involuntarium.

PET. I. AN metus causet involuntarium sim-  
pliciter?

R. Negativè: Quod enim ex metu fit, simplici-  
ter est voluntarium, quia omnibus considera-  
tis voluntas illud amplectitur; verum sano  
sensu causat involuntarium secundùm quid,  
eò quòd causet actum, qui à parte rei involun-  
tarius est, qualis est projectio mèrciū in mare.

2. An metus gehennæ, & pœnarum infernalium  
adeo queat esse intensus, ut peccandi volun-  
tatem penitus excludat?

R. In Justis, in quibus non præexistit in pecca-  
tum affectus, metus hanc potest habere efficaciam.  
Non enim est in caretendo difficultas, si  
non sit in habendo cupiditas.

Si sermo sit de peccatoribus, quorum cor  
non nisi difficulter avellitur à mundi illece-  
bris, hanc efficaciam metui ad ultimum gra-  
dum intenso denego. Peccati desiderium non  
extinguitur, nisi contrario desiderio rectè facien-  
di, ubi fides per dilectionem operatur. Aug. con-  
tra advers. legis cap. 7. Illa autem voluntas  
peccandi non profluit ex metu secundùm se  
bono, sed ex affectu in peccatū præexistente.

3. Quid est concupiscentia?

R. Est Passio, seu motus appetitus sensitivi, quo ad  
prosecutionem alicujus rei inclinatur.

Di-

16 TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Dividitur in antecedentem, & consequentem respectu *Operis*, & in antecedentem & consequentem respectu *voluntatis*.

4. Quæ est concupiscentia antecedens, quæ consequens respectu operis?

R. Antecedens est, quæ voluntatem inclinat ad agendum, & consequenter est causa operis subsequentis. Consequens est, quæ non est causa operis, sed ex illa potius nascitur.

5. Quæ est concupiscentia *antecedens*, quæ *consequens* respectu voluntatis?

R. Antecedens est illa, quæ ex sola apprehensione objecti delectabilis oritur in parte sensitiva, absque ulla intellectus deliberatione, vel consensu voluntatis. Consequens respectu voluntatis est, quæ libero voluntatis consensu deliberatè excitatur, vel excitata continuatur.

6. Quomodo se habet concupiscentia antecedens respectu operis ad voluntarium?

R. Auget voluntarium, sed minuit liberum. Ratio primæ partis est, quia concupiscentia blandè, fortiterq; voluntatem allicit, & inclinat, ut majori cum conatu, & fervore in objectū feratur.

Ratio 2. partis est, quia concupiscentia minuit cognitionem, & prudens judicium.

7. An concupiscentia subinde minuat voluntariū?

R. Aff. Quando voluntas agit contra inclinationem concupiscentiae, ut dum concupiscentia incitat ad malum, & voluntas interim fertur in bonum; tunc enim concupiscentia facit, ut voluntas in bonum inclinetur languidiūs.

8. Quid

8. Quid dicendum de *concupiscentia consequente respectu operis*?
9. Illa nec auget, nec minuit *voluntarium*, vel *liberum*; est enim posterior opere voluntario, & libero.
9. An habitus, sive boni, sive mali, item bona, vel male *consuetudines* augeant voluntarium?
10. Aff. Quia experientia constat, quod illi habitus efficiant, ut voluntas majori propensione, & conatu intensiori operetur, quia majorem in operando adferunt facilitatem.
- Nec refert, quod illi habitus diminuant liberum, quia & ista diminutio libertatis voluntaria est, sicut & ipsi habitus.
11. Quomodo peccat ille, qui *consuetudinem* habet pejerandi, quam se habere advertit, nec conatur exuere?
12. Peccat mortaliter propter occasionem proximam peccati, cui se exponit.
11. An peccatum ex *consuetudine* sit gravius altero, quod non fit ex *consuetudine*?
12. Aff. Quia *consuetudo* voluntaria signum est animi in malo obfirmati, & consequenter circumstantia ista in confessione est exprimenda.
12. Quid judicandum de eo, qui efficaciter conatur pejerandi *consuetudinem* contractam evellere, & interim ex inadvertentia pejerat?
12. Perjurium istud erit tantum materiale, non formale, quia non est amplius voluntarium, neque in se, ut supponitur, neque in causa, quia *consuetudo* est retractata.